

marginis. Nec erit incommodum si in uno libro Elementa, Breviarium, Pandectæ imprimantur, sed diversis Typis. Talem Pandectarum librum certus sum supra duo Volumina in folio non impleturum, quia in nulla disciplina & Facultate plus librorum, minus rerum est quam in Jurisprudencia, & cumulantur repetitiones in infinitum. Perfectis jam Pandectis fastigium impositum erit Jurisprudenciæ. Jamque silere cogentur loquacissimi illi exscriptores & consarcinatores Tractatistæ, quia Index horum Pandectarum instar omnium tractatum erit. Itantùm audebunt aliquid in Jure scribere, qui novum aliquem dubium casum observaverunt. Nam Theorica ad Jurisprudenciam Exegeticam & Historicam pertinentia propriè ad Jus non spectant, ideò nec Pandectis inferenda. Quicumque autem aliquid in jure confectis Pandectis scribet, non repetet quæ in Pandectis continentur, sed supplemen-